



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XI. Nonum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

gumentum.
Syll. Præd.
libr. 4. cap. 1.

rentur, hinc effici putat Philosophus Theologo-Politicus alterius esse quam Josuæ: quod ex Grotio & Præadamitico patrono sumsit. Cui rationi parem adhibebimus responfionem, quam simili adversus Mosis libros argumento adhibuimus; nempe hæc vel à Samuele, vel ab Efdra illic fuisse adtexta.

Septimum ar-
gumentum.
Jol. 16. 10.
Jud. 1. 29.

IX. Objicit præterea versum postremum decimi sexti capituli, in quo legitur Chananæos Gazeritanos ab Ephraimitis neutiquam fuisse deletos, sed vestigales factos: quæ quoniam reperiuntur itidem in primo libri Judicum capite; Librum illum recentiorum esse Josua concludit. Frivola ac futilis argumentatio: nam res quæ fiunt, ei necessario illigantur tempori, quo fiunt. At quæ factæ non sunt, nulli certo adnectuntur tempori, nec ulla ætas est, qua factas non esse jure dici non possit. Ut si quis dicat in Vita Tiberii à Romanis deletam non fuisse Germanorum gentem, hoc ipsum in Vita Vespasiani dicere poterit. At si Gallos dicat à Cæsare domitos, res hæc illigabitur decennio illi quo gesta est, neque ultro, citroque vagabitur. Itaque cum ait Josue Gazeritanos ab Ephraimitis non fuisse excisos, idem dicere licet de sequenti ævo, quo nec excisi sunt.

Octavum ar-
gumentum.

X. Infinitale vero est octavum argumentum, proptereaque invalidum ac leve; nam quod nulla fiat Josuæ mentio in historia conjurationis decem tribuum adversus Gaditas, Rubenitas, & Manassæorum partem, quæ vicesimo secundo Josuæ capite facta narratur propter Aram illam ingentem in ripa Jordanis erectam, hinc concludit Adversarius Theologo-Politicus defuncto jam Josua hæc evenisse. Quid si tunc æger erat Josue? quid si aliis negotiis districtus? Sed cur ad eas præscriptiones confugimus, cum in hoc ipso capite tutissima nobis pateat defensio? narrat quippe sacer Scriptor Rubenitas, Gaditas, & dimidiam Manassæorum partem, post domitam Chanaanitidem in proprias sedes à Josua dimissos, cum ad tulpulos Jordanis pervenisent, antequam disjungeretur, immanem illam Aram molitos esse, quæ reliquos Israëlitas concitavit. Vides connexionem rerum & temporum: à Josua dimituntur Rubenitæ cum sociis, iter faciunt versus fines suos, veniunt ad Jordanem, Aram extruunt, tumulantur Ebraei reliqui, legatos mittunt, excusationem accipiunt: hæc intra paucos dies & vivo Josua evenisse planissimum est.

Nonum ar-
gumentum.
Jol. 24. 25. 26.

XI. Capite postremo Josuæ, hæc leguntur: *Percussit ergo Josue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia verba hæc in Volumine Legis Domini.* Ex his verbis recte collegimus Librum hunc Josuam auctorem habere. Sed mirare ingeniorum dissensionem: contrarium inde effici putat Scriptor Theologo-Politicus: nam pactum illud, inquit, à Josua & populo cum Deo initum, descriptum est in volumine Legis Domini, quod alterum pactum populi cum Deo continebat. Atqui nullus extat liber, in quo utrumque pactum extet, perisse ergo librum hunc dicendum est. Verum à Disputatore nostro quaesitum velim, an non vicesimo nono, aliisque Deuteronomii capitibus alterum habeatur pactum; an non item vicesimo quarto Josuæ capite postremum descriptum extet. Superest igitur liber, in quo habetur utrumque pactum, Pentateuchus nempe iis auctus, quæ Josue adjecit, Libro nempe hoc, qui Josuæ nomen præfert.

Hercules
idem ac Josue.

XII. Hæc habui de libro Josuæ quæ dicerem: nunc agamus de ipso Josua, qui quoniam Mosis administer fuit, & rerum gestarum particeps ac socius, hinc effectum est, ut falsis eum nominibus, perinde ut Mosem ipsum dissimulari consequens ætas, & actorum ejus didita primùm inter Chananæos & Phœnices, inde in remotiores gentes fama, innumeris subinde figmentis aucta accreverit. Josuæ ergo optime demonstraverimus vetustatem, si vetustissimarum fabularum integumentis involutum eumprehenderimus. Constat inter eruditos Josuæ impostam esse Herculis personam. Id uberrime demonstravit Gerardus Johannes Vossius in libris De idololatria. Argumenta ejus in pauca contraham. Hercules Indos bello appetisse dicitur, quod in Syria & Arabia bella gesserit Josue: terra enim omnes ultra mare Mediterraneum sitæ, Indiæ nomine olim à Græcis appellabantur. Hercules Diis adversus Tiphæum, aliosque Gigantes præliantibus opem tulit: Josue bella Dei gessit adversus Chananæos, aliosque Terræ promissæ incolas, viros giganteæ proceritatis. Fuit unus ex illis Og rex Basan, cujus lectus ferreus novem cubitos longus erat, latus quatuor: is est ipse Tiphæus, ut ostendunt nominum significationes; nam hoc à τῖφω, illud à πῦ, quorum utrumque sonat, *ustit, coxit.* Nec obstat, quod superius observavimus, Typhonem Mosis esse simulacrum; sæpe enim vel eandem personam pluribus, vel varias personas eidem accommodarunt, ut à me quoque adnotatum est. Herculem adversus Gigantes ad ripam Rhodani pugnantem imbre lapideo à Jove adjutum ferunt: Deus quinque Regum contra Josuam præliantium copias lapidibus grandinis oppressit. In Arimis Tiphæus profligatus jacuit: in Aramæis, hoc est Syriacis campis

Voss. De idol.
libr. 1. cap. 26.